

565.

194



227



L VII 194

1-26

210/53



Supremo Honori,  
Matronæ Honestissimæ,

15.

**Marthæ Schmidia,**

*Doctissi. Humanissi. q<sub>3</sub> Viri*

Dn.

**M. CHRISTOPHORI**

**HASSFURDII,**

Collegæ Docentium in Scholâ Gorl.

fidelissimi,

**Uxori desideratissimæ,**

*Die, à puerperio, quinto decimo, nempe 26 Septemb.*

*Anno Salutis 1636, placidè defunctæ; & in*

*sinum Abrahamæ ab Angelorum*

*comitatu deportata,*

*Ad 29 Sept. diem, Sancto Archangelo*

*Michaeli sacrum,*

*justis funebribus habendo,*

**Cives & Municipis Scholæ omnium**

**ordinum advocantur.**

---

**LITERIS GORLICENSIBUS.**

DN 9045781




**D**eploras, Hasforde, Tuam: sat justa querela est,  
Quam das in viduo nunc, gemebunde, toro.  
Sed modus in lacrumis? non est amissa: triumphat  
Præmissa in Cælis; næ meliore loco.

Erramus quando hos nimium lugemus, ad astra  
Quos vehit & Pietas, quos vehit alma SALUS.

Cōdolens f.

Johannes Hagedorn  
Med. Doctor.



1. Tim. 2. v. 15.

**S**ervabitur mulier, liberos gignendo: si  
manserit in fide & charitate, & sancti-  
ficatione cum modestiâ.

**I**stius exemplum est CONIUX HASFURDIA Legis,  
Fœmineo ponunt quam sacra scita Choro.

Nam cum primitiis thalamum nova nupta beâisset;  
Hærede augendo sidera; prole torum.

Functa, ait, officio jam sum: mihi parta corona est:  
Salvaq; sum; fidei plena, tenaxq; piæ.

Dixit: & hac ægrâ jussâ tellure valere.

Cessit ad ætheriæ regna beata plagæ.

Felices: qui jussa DEI pietate capeffunt:

Namq; repôsta ferunt arce brabéa poli.

Consolationis ergò ponebat

*M. Martinus Mollerus.*





**C**OGITANTIBUS nobis variabiles vitæ nostræ  
mortalis casus; ac perpendentibus insultus ad-  
versitatum sine fine & modo, in hominum genus,  
quasi in incudem, incurrentium: quarum, ut ul-  
tima, ita terribilis maximè, si Aristoteli habenda  
fides, mors est; hostis ille noster, vel Codice Sacro teste, ulti-  
mus: certè non tantum fidei & veritatis mereri videtur aut  
Jurisconsultorum in foro; aut medicorum in nosocomiis, ex sin-  
gularium eventuum animadversione comparata observatio:  
quantum illud axioma; è communi fragilitate rerum huma-  
narum desumptum; & crebro exemplorum usu confirmatum.  
Sic enim Witebergensis olim scholæ habet, ad nostram usq; me-  
moriæ celebris, assertio: Mirificè fieri animadvertitur: &  
de causis occultis: ut unum in unâ gente funus sequantur  
gentilia & familiaria plura alia; non maximis intervallis.  
Quam sententiam exemplorum frequentia, non superiori tan-  
tum, sed & nostrâ memoriâ, sic firmavit: ut nostris hominibus  
in communis verbi consuetudinem venerit: rarò funus unum  
à familiâ aliquâ efferi: quin plura consequentia, quasi quas-  
dam inferias primo mittant. Ac audent, etiam ultra plebecu-  
læ captum qui sapiunt, nescio quibus signis, ex ipso funere au-  
gurari, & præsumere funerum plurimum ne an nullius? succes-  
sionem. Sed ut missa ista faciamus: ne superstitioni invete-  
rata applaudere videamur: sicut de nibilo non est: quod modò  
de funerum in unâ familiâ, se invicem sequentium, fatali den-



sitate retulimus: ita de causa iudicium hominum unum non est. Vulgus, quod ex opinione multa, ex affectu plerumque, ex veritate pauca aestimat; in irata mentis divinae argumentum rapit: plures uno saepe in una familia, modica incercalante pausa, quandoque nulla, fatis concedere. Quibus vero sanior mens est: quique melius sunt in rebus, cum divinis, tum humanis, instituti, longe alium calculum ferunt. Quippe sic agnoscunt occultas DEI omnipotentis vias, ut nihilominus a recondita Divinae Majestatis voluntate, semper iusta et sancta; ad eam, quam in verbo suo promulgavit appellent. Illius enim decreto sumus persuasissimi: non, ut Cynicus ille argutabatur, quia praesentem non sentiamus: sed, quia a malis requies est: et transitus ad eam vitam: quae cum hac nostra vita in contentionem si veniat, verae demum vitae nomen meretur. Longe Cynico Epictetus rectius loquitur; et ad Christianam fidem accomodatius: mortem malam non esse; sed opinionem de morte: quae malam eam facit. Etenim iis oculis, qui beato Paulo erant: si salvi esse volumus, aspicere mortem tenemur: et cum eodem ita firmiter inducere animum: quod, certamine huius vitae superato, ad coronam iustitiae in caelis impetrandam, ista anima et corporis separatione, evocemur. Ut vel ideo, cum B. Tertulliano, non sit illud timendum: quod nos liberat ab omni timendo: et, auctore beato Cypriano, ejus sit mortem timere: qui ad Christum nolit ire: ejus autem sit ad Christum nolle ire: qui se non credit cum Christo incipere regnare. Quae primaria causa est: quod benignissimus sospitator noster DEUS membra Filii sui ex huius vitae quisquiliis, educit:

educit:



educit: ut è contubernio peccatorũ ad consortium Angelorum  
traducat: quorum est; faciem Patris cœlestis perpetuo intuitu  
sine ullo fastidio, usurpare. Quare mirum videri debet nulli  
Christianorum: quĩ fiat: quòd plura suorum funera una fami-  
lia, modicã temporis intercapedine, interdum videat, lugeat:  
si cum animo reputat: quod nostri homines, fiducia melioris vi-  
tae, jaçtant: quot nostrorum, qui sanguinis, affinitatis, ne-  
cessitudinis vinculo sunt nobis juncti, ex hãc vitã disce-  
dunt: tot gradus ad cœlum nobis sterni. Quod cum, adbibi-  
to grano salis, intelligi oporteat: ne de meriti dignitate acci-  
piatur: quod pia vetustas de desiderii aviditate loqui inculca-  
vit: facere non possumus: quin ad suffragium ferendum S. Cy-  
prianum denuo vocemus. Ille enim: Nobis quoq;,, inquit, ipsis  
minimis & externis quoties revelatum est? quam frequen-  
tè atq; manifestè de DEI dignatione præceptum est: ut  
contestarer assiduè, & publicè prædicarem: fratres nostros  
non esse lugendos accersione. Dominicã de seculo libera-  
tos: cum sciam, non eos amitti, sed præmitti: recedentes  
præcedere: ut proficiscentes, & navigantes desiderari eos  
debere, non plangi: nec accipiendas hic esse atras vestes:  
quando ibi indumenta alba jam sumpserint? &c. In lineam  
ut redeamus, & gradum: ne longinqua accersamus exempla:  
mortem, unius gentis & familiae foribus semel pulsatis; uno fa-  
miliari non esse contentam; sed falce suã succidere plures alios:  
inter manus sunt recentia, & funesta satis. Dies hic nonus  
est: ex quo exequias ivimus Dorotheæ Margarethæ, viri  
cum scientiã & usu Pharmaceutico, tum virtutis laude ad se-



ram usq̄ posteritatem commendabilis, Dñi: Johannis Büttneri  
nostri, τ̄ μαναγιτ̄ς, filia; puella; in quâ ingenii bonitatem &  
probitatem paria fecisse: ne invidia quidem ausit diffiteri. Fis  
vix peractis; ecce novum succedit funus, in affinitatis confinio,  
tanto luctuosius: quanto, si rem ex re aestimare velimus, acer-  
bius vulnus est iis, qui efferunt, inflictum, impressum. Illud  
verò est matrona honestissima, MARTHÆ, è veteri & laudatâ  
Schmidiorum, in hac civitate, prosapiâ, genus, cum majorum,  
tum propriâ laude, ducentis; Viri Clarissimi, Humanissimiq̄,  
Dñ. M. CHRISTOPHORI HASFURDII, Collegæ docentium in  
scholâ patriâ Gorlicensium industrii, probissima notæ uxoris:

Cui fuit Eusebie par fama; & cura Tonantis:

Ingenio pietas nec minor ipsa suo:

ut Martialis canit, paucis immutatis. Ac usuram quidem mor-  
talis hujus lucis auspicata est anno, à recuperatâ salute, septi-  
mo & nonagesimo, supra quingentesimum, millesimum; pro-  
priedie Calend: Sextil: sub crepusculum vespertinum; medio  
hora nonæ quadrante. Parentibus edita fuit honestis: Patre  
Dn. Joachimo Schmidio, cive Reip: hujus spectato, & docto:  
matre Annâ, Viri Amplissimi Prudentissimiq̄; Dn. HENRICI  
MOLLERI, Scabini Reip. Gorl. dignissimi, p. m. filiâ; de quâ, ut cū  
Ausonio loquar, mentiri fama verebatur: utpote, ad laudes &  
virtutes matronales filia naturâ & moribus, quoad vixit, per-  
fecto exemplari. His ergo conjugibus novâ istâ prole auctis,  
ut nihil fuit antiquius, quàm sacro Baptismatis lavacro filio-  
lam iniciatam, Christo Salvatore consecrare: ita pietatis exer-  
citiis tenelli animi testulâ imbuere fuit cura, præ cæteris, prin-

ceps.



ceps. Quod verò numero sæpè accidere videmus non paucis: ut,  
ceu quartà Lunà nati, à prima infantia suo pte experimento  
doceant: Illud Herodoti quàm sit verum: τὰς ἐς ἀνθρώπος  
συμφορῆν ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις  
σὺμφορῆν ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις ὅτις  
omnis homo est calamitas: MARTHA nostra SCHMI-  
DIA, divino sic ferente beneplacito, docuit. Sicut verè de ea di-  
ciposset: quod vita hac nostra Penelope tela similis esset: quæ  
texendis retexendisq; quotidiè arumnis veniret. Vix enim no-  
vennis cum matrem vitæ, magistramq; piæ vitæ suæ, præprope-  
ra morte præventam, amisisset: primùm domesticis officiis, sub  
aspera disciplina viduæ domus, morigera & assidua, tandem à  
propinquis emancipata, cum eorum ipsorum, tum aliorum stu-  
diis, quibus ætatem puellarem esse deditam debere, honestas  
suadet, sese ità occupavit: ut animos omnium devinctos tene-  
ret. Quippe fortune novercantis vices ita tractabat: ut, si-  
cut, Æschylo dicente, ἐν ταῖς δυστυχίαις λάμπει τὸ καλόν:  
ita laborum molestiis exantlandis pluribus, virtutem altis de-  
figeret in bona indole radicibus. Unde fiebat: ut omnibus gra-  
ta, quia officiosa; suis non invisæ; quia tolerans: nulli illauda-  
ta, quia casta: vitæ & honestæ & piæ opinionem, apud non ne-  
minem sibi concitatam, egregiè defenderet; altera Martha.  
Ita cum se solertiæ & castitatis; castitatis autem? imo omnis  
incolumis famæ gereret imaginem non piæ, sed natam; non  
fiæ, sed veram: non delineatam, sed expressam; in sese pro  
libidine laborem, pro purpuris pudorem; pro cerussa decorem  
patiebatur regnare. Hæ ergo illices, hæ Suadæ & Veneres  
Clarissimo Dñ. HASFURDIO persuasere: ut, post habitis aliis,  
unam istam MARTHAM SCHMIDIAM sociam precum & laborum,

id.



id est, conjugem eligeret: quâ scholastici pulveris molestias solaretur: sacris nuptialibus auspiciò, superiori sesquianno, celebratis. Sed conjugium, ut ut serum, tamen ita experta est scholam lucis: ut & crucis esse gymnasium disceret; ac præludium eternitatis. Quamquam enim sibi de fideli matrimonio potuit gratulari: & illam venustatem suam quoq; duxit: quam Salomon, regum, post homines natos, sapientissimus, in conspectu esse DEI speciosissimam judicavit; nempe concordiam inter fratres: amicitiam inter vicinos, conjuges in societate & fide mutuâ perseverantes: tamen, quod sanitatis cursus inciperet nonnihil sisti: rosas deliciarum conjugalium spinis innascentiebat. Inter hæc, fructu conjugii, ex benedictione divinâ, donata: felici partu charissimum maritum patrem factura; tota in eo fuit: ut DEO se, & fatum uteri, commendaret. Ac, omnibus quidem rebus satis salvis, filiam enixa, ante dies paucos, ANNULAM; ad stabiliorem sanitatem expectabatur. Sed, ô spes fallaces! ô fragilem humane sortis conditionem! quæ saepe in portu frangitur, prius; quàm anchoram jecerit! Non enim diu post puerperium, caloribus & horroribus febrilibus tentata primû; post oppressa; ad Salvatorem suum potius in cælis salutandum, quàm suos in his terris curandos animum adjecit; non tam pertesa perennium in hac vitâ dolorum: quam incensa cupiditate videndi suum Jesum. Hæc enim ipsi mens erat: nos Homines continuam mortem, id est, terrestrem vitam, vitæ nomine non bene dignari: mortemq; eam appellare: quæ vivæ mortis exitus est: vitæq; æternæ ingressus.

Itaq; ut beati Lutheri, de Rachelis in partu morte, verbis

utar



*utar nonnihil: quod optabat maximè; in mariti gremio edu-  
care sobolem; prohibetur: sed quinto decimo à partu die; in  
vocatione & statione suâ, in quam divinitus collocata fue-  
rat, obdormit: & sub cruce, quæ à DEO est mulieribus impo-  
sita, occumbit; spe & fide in Christum plena, ac sine gemitu &  
singultu, non tam in mortem, quam placidum somnum resolu-  
ta, horam terrenæ voluptatis gaudiorum æternitate commu-  
tat. Ubi coram Sancta Trinitate, in cœlestis throni templo, pu-  
erperii sui legibus & molestiis soluta, æternæ purificationis sacri-  
ficia Redemptori suo persolvit. Quàm mœstissimo viduo acer-  
bum morsum iste luctus stringat: qui cordis sui portionem, &  
anima dimidium suæ abscissum, sublatumq; dolet; reverentiâ  
Saram, amore Rebeccam, fide Rachelem, pudore Susannam,  
studio domum accurandi verè MARTHAM: in proclivi & con-  
jugibus Φιλοσόφοις credere Poeta lamentanti,*

*Non dolor est major: quam cum violentia mortis*

*Unanimi solvit corda ligata fide!*

*Eoq; magis: quo filiola relicta intuitus, & cura solitudo do-  
lorem exacerbabit vebementius: hac penè viduato Patri la-  
menta exprimens:*

*O Lucina ferox: hoc peperisse fuit!*

*Veruntamen inter hos squalores memor tristissimus vi-  
duus illius, quod eodem loco Lutherus noster ait; ac certus: ut  
maximè nostra & nostrorum mors tristis sit: quod certa ta-  
men res sit: nos in æternum victuros: & restitutum Uxo-  
rem iri in illo augusto ἀπολυρώσεως nostræ die, hodiernam  
lucem, Archangelo Michaeli sacram, justis Uxori desideratissi-*

B

ma, bo-



me, honesto funere, persolvendis, destinavit. Quare agite,  
omnium ordinum cives & municipes scholæ nostræ: quod ve-  
stra in Dn. Collegam & Præceptorem pietas monet; officium  
exigit: doloris mutui sensum contestandi gratiâ; frequentiâ  
vestrâ, decenti devotione ac honorificâ deductione funus hoc,  
scholasticæ Musæ, cobonestate: & ita in spem certæ resurrectio-  
nis, defunctæ corpus, magnæ matri asservandum, frequenti co-  
mitatu reddite: ac mœroribus Domini vidui demulcendis to-  
tos vos date. Fit enim: ut in consolatione & dolore communi  
& socio, bona portio doloris tollatur; & ad mediocritatem re-  
vocetur. Ita nos DEUS ille in Christo noster, suâ gratiâ juvet:  
ut inter nos sic pietatis examina tractemus, certamina susci-  
piamus: ut aliquando & nostra anima, non aquilis, cum Au-  
gusto Cesare, commento ethnicorum, insidens: sed insuta, sed  
involuta salvificis crucifixi Jesu Christi nostri vulneribus, cum  
prolubio & triumpho, cœlorum arcem conscendat; receptura  
coronam triumphalem, non lauru caducâ; sed eâ; quæ, ut & æ-  
gæ Quercus quoddam arboris vitæ, nascitur & textitur in Paridisi  
hortis; purissimo aquæ vivæ fluvio, è throno DEI & Agni pro-  
siliante, irriguis: ubi omni temporum varietate profligata: ac  
frigoris, calorisq; asperitate; & æstu valere jussu, vernæ amœni-  
tatis suavitas perennabit: & insatiabilis rerum omnium tran-  
quillitas ridebit: ad quam MARTHAM nostram præmissimus,  
secuturi: cum divinæ erit voluntati visum.

Valete, P.P. ipso die exequiali.

Anno 1636.



Euseb.



**T**u, Qui Christianus es, cur felicitatem terrenam in hac vitâ Tibi promittis, quæ Tibi post illam alteram demùm à CHRISTO promissa est? Ipse flagra, imò mortem ipsissimam perpesus est, & Tu in delitiis vives? Numquid tibi promittis in fluctu, quod Dominus Tibi promisit in portu? Dura, & vide, ne abjicias id in portu, quod Sancti vix retinuerunt in fluctu.

**D**uplicis Hebdomadis rediit vix orbis in orbem,  
Orbis ubi humanus vertitur orbe tuus;  
Namq; Tuas primùm SOR slata beaverat Ædes,  
Ut fuerit Vestrùm factus uterq; Parens;  
Quid Binis poterat tunc exoptatius esse;  
Cum Stirps Seminiò cresceret aucta novò?  
Qvilibit optabat, (qv̄is enim non optet ovando?)  
Qvilibet edebat gaudia, vota, preces.  
Et simul urgebat, qvò mòx Bellissimus Infans  
Amne Salutiferæ perlueretur aquæ;  
Qvo - sibi - cum libeat colludere nocte, dieq;,  
Basia Basiolis, labra movere labris.  
Gaudii àt Illius mox MORS discriminat horas,  
Et lamenta jubet fundere in Exeqvias;  
CONJUGE dum Conjux, Soboles viduataq; MATRE  
Ingemit, & raptam deflet uterq; Sibi.



Quàm jactura gravis, quàm sint crudelia PARCÆ  
Numina, quàm votis invida Fata fient;  
Novit, quisquis habet fociam, Lectiq; jugalis  
Pignora, mœroris testis & esse potest.  
Non dolor est major, non est violentior ullus,  
(Mens stupet, os pallet, cor pavet, ossa tremunt,)  
Attamen has inter lacrymas, quæ rulosq; dolores  
Affixum tumulo pectus ad Astra leva.  
Non Tibi perpetuis defunctam condidit umbris  
MORS fera, sed CHRISTI rettulit in gremium;  
Qui prius ante Tibi, Qui Costæ Prole ligatæ  
Apparere sui fecit Amoris opes:  
Et limbo, quo merfa fuit tua Bella Puella,  
Extraxit Dextræ vivificantis ope;  
Ille fatigatam mentem cum Prole novellâ  
Eriget, ac Patris, Matris & instar erit;  
Perfer & obdura, dolor hic Tibi proderit olim,  
Sæpè premente DEO fert DEUS alter opem!

in acerbisf. dolor. diminutionem,

&

Collegial. Compass. significationem  
directa

à

GREGORIO CERNITIO Colonienf.  
P. L. C. & N. P. Gymn. Gör L. Co L.

Vita



**V** Ita quid est hominis, si maxima summa dierum? 153  
Scilicet est longi longa catena mali:

Vita quid est hominis, si parvula summa dierum?  
Scilicet est parvi parva catena mali.

Hec omnis loquitur: (quis enim manifesta negaret,  
Quae probat exemplis qualibet Ora suis?)

Quis non evasit centena pericula rerum,  
Quem mors in primis abstulit atra rosis?

At quem deseruit variorum lerna malorum,  
Cui fuit in mundi vivere valle diu?

Hic Pacem contra Ma<sup>v</sup>ors in praelia surgit,  
Hic nobis Sathanas toxica mille parat:

Hic, dum Spiritui caro fit contraria Sancto,  
Peccat, nosq<sup>ue</sup> vagas ducit ad illecebras.

Hic dolor excruciat mentes, mœstisq<sup>ue</sup> querelis  
Ora sonant: sunt hic cuncta referta malis.

Ergo catena mali longa est longissima vita:  
Sit brevis, & brevis est vita catena mali.

Id tua præ reliquis Hassfaldi noverat Uxor,  
Femina chara Tibi, charior et Superis:

Hinc placidâ solvens breviorē morte catenam,  
Astrifera petiit tecta beata Domus.

Ne sortem doleas, immissaq<sup>ue</sup> fata Marite:  
Est cita mors citior, crede, medela mali.



Te potius tolerare decet sine murmure casum,  
Quem nullà in melius lege referre licet.  
Sed te Filiolæ plorantis cura remordet,  
Hæc quod Nectareo lacte Parentis eget:  
Debueratq; tui causâ Mors relinquere Costam,  
Quod tecum haud longos vixerat illa dies:  
Pone modum lachrymis: Jovâ curante, puellam  
Qui pascat, donec vita manebit, erit.  
Pone modum lachrymis: Jovâ curante, querelas  
Excipient iterum gaudia leta tuas.  
Dic, Marthæ clauso requiescant membra sepulchro:  
At mens intuitu gaudeat usq; DEI!  
Sic DEUS humanis tandem nos exime rebus:  
Est pia mors cuncti certa medela mali.

Solatii ergò scrib.

PETRUS RICHTER

Cantor GorL.

Difficili partu conjunx enixa puellam  
Ut fuit Hasphordi, Smidia Martha, Tibi:  
Obsequiosa DEO, simul obsequiosa marito,  
Mox etiam Fatis obsequiosa, manet.  
Namq; puerperii lassata laboribus, unâ  
Clausit & extremo fata suprema die.

Sic



Sic proh! quæ Partus concinnit gaudia, rumpit  
Vulnere lethali Mors properata nimis!  
Mater obit, Sobolem post se, Viduoq; Parenti  
Rellinquit viduos destituitq; lares:  
Sed non destituet Supremi cura Parentis,  
Qui fecit Viduum, fecit & ipse Patrem.  
Nutriet is Sobolem, & desertum à Conjuge lectum  
Noverit immensis accumulare Bonis.  
Nam T u A pro fluxis cœlestia morte lucrata est,  
Ne tristare animo in gaudia tanta T u Æ.  
Gens ignara D E I tristatur pectora quorum  
Non capit æterni Spes opulenta B O N I.

condolenti animo  
Coll. Coll.  
adjicieb.

*Johannes Hoffmann.*





Sic probo...  
...  
Matthias...  
...  
Sed non...  
...  
Nuncius...  
...  
Novit...  
...  
Nam...  
...  
Georgius...  
...  
Non capit...

codicem  
Coll. Coll.  
schick.

Joannes Hoffmann

Difficili...  
...  
...  
...  
...  
...







Handwritten notes on paper scraps protruding from the top of the book.

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006892 2